THESES PHILOSOPHICAE,

Quas DEI Opt. Max. ductu & auſpiciis,

IOANNES SETONUS PRÆSIDES

Adoleſcentes Magiſterii Candidati, in Academia Marescallana, die xxiij. Iulii,

ANNO DOMINI 1630.

In Clariſſimorum Philoſophorum Conſeſſu,

Propugnabunt, ab Auſpicia ad Metaphyſicam.

Controvertentium redargutione contrariæ rationes depoſtulantur. *Arist. Lib. 1. Topicor. Cap. 3.*

ABERDONIÆ,

EXCUDEBAT EDVARDVS RABANUS,

ANNO 1630.

CVM PRIVILEGIO.

CLARISSIMO ATQVE AMPLISSIMO VIRO, D. THOMÆ HOPÆO

DE CRAIGHALL EQUITI BARONETT, *SECRETIORIS CONCILII SENATORI PRUDENTISSIMO, GRAVISSIMO, ADVOCATO REGIO DISERTISSIMO, FIDELISSIMO, MÆCENATI AC PATRONO NOSTRO SVMMO OBSERVANTIÆ STVDIO, COLENDO.*

MVsarum fœtus, recens in lucem editus, multorum malevolorum unguibus dentiſque obnoxius, quò à mordentium gannitu, diriſque vituperonum linguis, qui ipſum, inſontem licet carpunt vellicant, fugillant, defendatur, alicujus patrocinio eget. Ad quos vero potius innoxiæ Heliconis alumnæ quam ad innocentiæ patronos, aliorum iniquitate preſſæ, quam ad juſtitiæ ſatellites confugiant? Ad

Ad tuæ igitur Ampliſſimè Hopæe, amplitudinis aſylum noſtræ ſe recipiunt Muſæ, quas ad ſe ut magnes ferrum, Naphtha flammam, nominis tui ſplendor dignitaſque, ad quam te, Sereniſſimi ac Potentiſſimi noſtri Regis clementiſſima ac benigniſſima Majeſtas, meritò ſublimavit, allicit attrahit: cuique raræ tuæ virtutis eminentia ex qua omnibus notiſſimus, ipſe licet multis ignotus, nos clientes demiſſos devovet. Quis enim neſcit, limatum tuum, perſpicax, inque tot negotiorum glomeramine acerrimum judicium, ſolertiam forenſem, ſubſelliorum cancellis minimè concluſam ita apud omnes percrebuiſſe, ut hæc in te negare, niſi perverſe malevolus, ignorare, niſi rerum prorſus rudis, nemo poſſit. Sapientiæ verò æmula eſt eloquentia, mentiſque divinæ lingua diſerta reſpondet, cumque intellectus vigore, oris certat rotunditas, quod penetralem animi tui lautitiam recludendo, multa controverſiarum involucris tecta nudat. His aliiſque tuis adoreis, comes & cumulus adeſt ſenatoria gravitas, eminens probitas, propenſa pietas, qua æquis juſtiſque cauſis nunquam Patronus decs. Quicquid enim in tuum patrocinium incidit, juſtum eſt, aut utram in partem inclinet internoſci nequit. Quorum vero mens jurgiis, lingua perjuriis, manus ſceleribus coinquinatæ ſunt, tua clientela reſpuit, qui iniqui tutelam inceptu turpem, effectu turpiorem, paricidiumque facilius perpetrari, quam excuſari poſſe, cum tuo Papiniano ducis. Tu audis, legum fidus interpres, futelis neminem evertens, ſed veritate falſum convincens. O fœlices te Patrono clientes, cujus conſcientia litigantium utilitati individuo nexu unita eſt. Sit ſuus Auguſto Trebatius Septimio Papinianus, Alexandro Vlpianus, Conſtantino Trebonianus, aliiſq. alii chari: at CAROLI noſtri, DEI gratia potentiſſimi Monarchæ deliciæ, Conſultiſſimus eſto Hopæus, juris lucerna,

juſtitiæ ſacerdos, innocentiæ aſylum. Hunc foveat, faveat, quo patrocinante, cauſæque juſtitia ancillante, quaſi Gorgonis objecto capite, vel ſtrenui veritatis indagatores obmuteſcunt. In te utique juſtitiæ ſatellitium, expreſſum vivumque pietatis, probitatis, æquitatiſque, quod imitetur exemplar habet. Hunc igitur Mœcenas Colende, quem tibi ingenioli noſtri partum offerimus, tua quidem excellentia minus dignum, noſtræ tamen in te obſervantiæ indicem, æquo benignoque animo accipias, noſque, tuæ Amplitudinis cultores ſtudioſiſſimos tueare, obnixè rogamus.

Tuæ Amplit. Addictiſs. ac devotiſs. ad Magiſtralem lauream promovẽdi candidati.

THESES LOGICAE.

THES. I.

ENS rationis reali oppositum, existentia aliqua reali actuali, aut potentiali, minime existit: cum realis existentia omnis, extra intellectum in reipsa sit, rationis vero ens, tantum in intellectu existat.

2 Quod in mente existit, in re existere potest, & existentiæ reali, mentalis nequaquam repugnat: ens tamen rationis, reale, aut rei, notionale fieri, nequaquam potest.

3 Rosa, in bieme, etsi solæ rationi existentiam acceptam referat, non rationis, sed reale ens dici meretur.

4 Ens notionale, conceptus mentis non est; quippe realis hic: nec denominatio extrinseca ab actu intellectus, cum ejusdem essentiam, concipi, cognosci, aut esse conceptum, cognitumve, minime constituat.

5 Cum solum primum ens, quo reliquis omnibus antestat, hoc privilegio gaudeat, ut à se sit, sibique ipsum essendi ratio, ens rationis productum, idque intellectus operatione, recte dicitur. Nec ens ratio-

nis à realibus, à ratione nullatenus abhorret.

6 *Non enti cùm actu, tum potentia, ſeu prorſus impoßibili, accidentia convenire poſſunt realißima: ſicut & enti reali, rationis.*

7 *Cum omnis potentiæ actio, objectum, nulla neceßitate præſupponat, mentis negotiatione, circa quam verſatur materiam, neceſſario priorem non dicemus.*

8 *Ex partibus realibus conſtitutum totum, omni realitate deſtitutum, ſæpius videre licet.*

9 *Intellectui objici, entis rationis eſſentiam non conſtituit, cum & entibus aliis extra intellectum realibus competat: nec ad realiter exiſtendum repugnantia, mera enim realitatis negatio, qualis eſt ad exiſtendum impoßibilitas, nulli enti eſſentiam dare, illudve, formaliter in ratione entis conſtituere poteſt.*

10 *DEVS, per ſe & immediate, entia rationis formando non intelligit, concipiendove per modum entis, quod eus non eſt; quippe, hic intelligendi modus, intellectus imperfectionem arguit, divinæque cognitionis perfectioni conſentaneus non eſt. Quatenus tamen, rationis entia perfectißime cognoſcit, dici poſſunt hujuſmodi entia, habere aliquod eſſe ex vi divinæ cognitionis, dum enim à DEO cognoſcuntur, objectivo in ejuſdem ſint intellectu neceſſe eſt.*

11 *Multæ inter multos agitantur controverſiæ, verbo tenus potius quam reapſe diſſidentes Philoſophos: at de univerſali, quod inter ipſos intercedit diſſidium, citrane & ante mentis operam exiſtat, non verbi ſed rei eſt. Intellectus functione univerſale fieri, vulgarem, diu multumque celebratam ſententiam haud inficias imus, at alteram quæſtionis partem, univerſum puta, ante omnem intellectus negotiationem exiſtere, minus licet receptam, at multo veriorem ac ſolidiorem propugnandam ſuſcipimus. Intellectus quidem machinatur quicquid vult, at in rebus efficere nihil poteſt, ſed quæ in rebus ſunt, tantum intelligit.*

12 *Ne quis, ſub inanium diſtinctionum (fundamentaliter verum, formaliter falſum) involucris latere nos cavilletur, naturam unam & communem in multis, quæ duæ tantum conditiones, ad completam univerſi rationem, vel formaliſtime ſumpti requiruntur, ante & citra omnem mentis operam, ingenue fatemur.*

13 *Univerſa*

13 *Vniverſa, non tantum ſunt animi noſtri notiones & ſpecies, ſed in rebus ipſis revera ſunt naturæ univerſæ.*

14 *Vniverſale, in quibuſdam corporeum, in aliis incorporeum, in quibuſdam nec corporeum nec incorporeum eſt, ideoque riſu excipienda eorum ſententia, qui omni univerſali, corporeitatem negatum eunt.*

15 *Vniverſalia, non ſunt à rebus ſingularibus diſjuncta, ut ſuas volebat Plato ideas, ſed iiſdem inhærentia.*

16 *Philoſophorum quidam, univerſalia à nullo loco, nullove tempore excludunt, quippe quæ ubique & ſemper (divinum quaſi ipſis honorem impertientes) exiſtere volunt: nos citra ullam veritatis jacturam erroriſve aleam, nullius loci ambitu terminari, nullave temporis durationem menſurari poſſe quædam tenemus; quippe quæ nuſquam & nunquam eſſe dicamus. Ac ne quis determinatum ubi, tempuſve iis denegare nos exiſtimet, utrumque prorſus iis ademptum volumus.*

17 *Inhærentiam actualem, quam ab aptitudinali nihil differre putant, de accidentis (quantitatis nimirum aut qualitatis) eſſe eſſentia, Averroes ejuſque ſequaces affirmare non verentur; alii, quo illud pacto, cum ſacro Euchariſtiæ ſacramento conſiſtere poſſit, utpote in quo accidentia nullo ſubjecto (quibus fides dogmata ſunt ſomnia, hoc ſine ullo verbi divini auctoritate, ſolo Papa vicedeo ipſos afflante credere (O fidem) ſolent) conſpiciantur, haud intelligentes, actualem exiſtentiam, ab accidentis ratione formali, quam longiſſime amoliri ſatagunt, tantumque inhærendi aptitudinem, accidentis eſſentialem ſtatuunt. Nos, Philoſophiæ veræ luce collustrati, utroſque hoſce, Andabatarum more, in tenebris acerrime pugnantes, in gratiam reducere ſtudemus, noſtra modo ſtare placeat ſententia: utroſque namque nos, à veritatis orbita, diverſo licet diverticulo, pariter deflexiſſe putamus, cum neutra inhærentia, nec actualis nec aptitudinalis, accidentis conceptum formalem attingat.*

18 *Relationes, rebus abſolutis eſſentiales, quæque naturæ abſolutæ ſint complementum quidditativum, ſine quibus naturæ abſolutæ, in ſuo eſſe abſoluto, omnibus numeris perfectæ eſſe nequeant, pernegamus: ſed omnes illas, quas multi, magni nominis Philoſophi, abſolutorum conceptum quidditativum ingredi cenſent, eorundem tantum proprietates dicimus, cui veritati, quaſcunque, fictæ relationis tranſcend*

ſcendentalis & categorica diſtinctione, nebulas offundere conentur alii, ſeipſâ tuta veritas, proprio ſplendore haud egre diſperdet.

19 Relationem in tranſcendentalem & prædicamentalem, perpetuam dividunt multi, cum omnis prædicamentorum ambitu excluſa tranſcendentalis non ſit, niſi per omnes vel plures categorias vagetur.

20 Actio eſt genus univocum, ſubſtantialem & accidentalem, tanquam ejuſdem ſpecies ſub ſe complectens: non enim actionem ſubſtantialem cum multis, ad categoriam termini, puta ſubſtantiæ reducendam putamus; ſed in actionis prædicamento directe collocandam tenemus.

21 Actio qualibet, ſubjectum quo fulciatur minime poſtulat, cum quædam, ſine omni ſubjecti auxilio, exiſtere poſſit.

22 Motus naturales inanimatorum, quibus propria petunt loca, ſicut & naturalem ab anima potentiarum emanationem (ſuo hanc modo actionem fatemur) in eodem licet ſuppoſito maneant, imo etſi potentiarum emanatio in ipſa anima à qua procedit hæreat, actionum immanentium nomine venire negamus.

23 Actio inſtantanea, per quicum tantum momentum durare poteſt, vel per multorum annorum ſeriem, cum nostra mora inſtantaneo repugnet.

24 Paſſio omnis de categoria paſſionis, actionem individuam habet comitem, at hæc ſine illa exiſtere poteſt, actuque exiſtit, nec mutuo nexu, neceſſario ſunt conjuncta.

25 Summum genus categoriæ Quando, durationem ſtatuimus, ſub qua omnis duratio, finita, creata continetur, ſola increata & æternitate excluſa: durationem enim indiviſibilem & ſucceſſivam, ſubſtantialem & accidentalem, in ratione univoca convenire quid vetat?

26 Haud ignobiles Philoſophi, propriam præceptoris ab aliena, ſententiam diſcernere haud ſatis docti, in quantitatis genere tempus collocant, quibus nos ſapere ac valere juſſis, in eorum ſententiam imus, qui ad prædicamentum Quando, tempus reducunt.

27 Prædicamentum Quando, generis & ſpecierum habet ſeriem & coordinationem, non autem ſpeciem individuam, tempus nimirum, ſub eaque, individua tantum.

THESES

THESES
ETHICÆ.

Thes. I.

Actio voluntaria, duas conditiones necessarias postulat: alteram, ut in agente, alteram ut in cognoscente, sit principium.

2 Quicquid vi, aut coactione impulsus quispiam facit, involuntarium censendum est: ut si quis alterius manu, per vim ad facinus patrandum utatur.

3 Quod ex metu fit, voluntarium est simpliciter, sponte enim & ex intrinseca inclinatione fit, ut in mercatore, naufragii metu, in mare merces projiciente patet: involuntarium autem secundum quid, quippe dolens, cumque quadam repugnantia, non lubens illud facit.

4 Voluntati, secundum actus suos elicitos, vis nullo pacto inferri potest, at imperati actus coactioni obnoxii rectè dicuntur.

5 Ignorantia, alia est antecedens, involuntaria & invincibilis, consequens alia, voluntaria & vincibilis.

6 Quandoque ignorantia, effectus causa est, nonnunquam opus tantum comitatur.

7 Antecedens ignorantia, opus cujus est causa, omnino involuntarium reddit: vincibilis vero & consequens, effectum suum, in se directe involuntarium efficit, cum sit incognitus, auctorique displiceat; quippe à quo prudenti minime fuisset profectus: indirecte tamen, voluntarium ac culpabilem, ob debitum circumspectionis neglectum.

8 Qui, passiones omnes vitiosas, animique veluti laborantis morbos censent, quippoque, ad vitia homines inflectant, à veritate longissime aberrant.

9 Liberalitatis objectum pecunias rectè statuit Philosophus.

10 Est liberalitas virtus, qua cunctos nobis devincimus, quæ egenos nutrit, virtutes alit, Fortunæ bona in finem congruentem dirigit, cujus actionibus DEO simus simillimi, qui sola sua immensa

menſa liberalitate, mundum hunc condidit. Hujus virtutis munere, quodcunque dedimus, habemus.

11 *Avaritiam, malum inſanabile recte appellat Philoſophus, quod Hermocrates ille, qui ſuorum ſe bonorum morieus hæredem ſcripſerat, teſtatur.*

12 *Non ex ſe, ſed ex eventu, non ut finis, ſeautus finem ordinata, optabilis eſt mors: cum enim vita hac, præ alia mors ſit, corpuſque hoc animæ ſepulcrum, merito, melioris vitæ gratia, mors præeligi poteſt.*

13 *Nihil ſui interitum, appetitu appetit naturali, ſed ſui potius conſervationem & eſſe, quod in jumentis, feriſque, mortem pro viribus vitantibus videre eſt.*

14 *Quanquam mors, nonnunquam vitæ præferenda, rectaque ratione præeligenda ſit, eam tamen ſibi conſciſcere, manuſque tanquam ſalutares inferre, ſumma impietate haud caret: quicunque enim ſibi injicit manus, qua ſe diligere tenetur charitate deſtitutus eſt, in* DEVM, *alienum ſervum occidendo, in Rempublicam, membroipſam privando, graviſſime peccat.*

THESES PHYSICAE.

Thes. I.

Abarellæ ſententiam, cum univerſalem, tum particularem potentiam à materiæ removentis eſſentia, probamus.

2 *Tritum illud (adveniente actu tollitur potentia) ſuam patitur difficultatem, niſi cum grano ſalis acceptum; cum, accedente forma maneat potentia univerſalis, necnon particularis eadem quæ antea & conſequenter omnis.*

3 *In materia duplex ſit licet potentia, univerſalis & particularis, duplic*

duplicem potentiæ reſpondentem privationem, quæ generationis ſit principium eidem nequaquam aſſignaverimus.

4 *Peripatetice (id eſt vere) Pererius, potentiam primam, univerſalem & remotam, materiæ eſſentialem negat, quippe ejus tantum proprietatem eſſentiam conſequentem. At falſo minuſque verè (in vicinia veritatis eſt error) iidem ibidem, hanc proprietatem à materiæ eſſentia immediate intrinſecuſque fluere, inque ſecunda qualitatis ſpecie, cum qualitas non ſit, collocari autumat.*

5 *Formæ abſentia, cum ſubjecti ad eandem recipiendam aptitudine, privationis naturam haud ſatis explicat.*

6 *Privatio formæ ſubſtantialis, ſimul & ſemel, eodem putà momento, in materia eſſe poteſt cum eadem numero forma ſubſtantiali, cujus abſentia & privatio dicitur: quippe in ipſo generationis puncto, ineſt materiæ ſumma aptitudo ad formam recipiendam, ideoque exactiſſima formæ privatio.*

7 *Nobiliſſima eſt quæſtio, interque principes Philoſophos, diſcrepantibus ſententiis agitata, an mundus aut creatura aliqua, ab æterno exiſtere potuerit: quam quæſtionem, gravem, diverſa inſignium Doctorum placita, difficilem, rei ipſius magnitudo, inque utramque partem rationes validæ reddunt. Nobis, tanquam pietati & veritati magis conſentaneum, veriſimilius multo videtur, mundum hunc, cum prima cauſa, durationis æqualis non potuiſſe eſſe, nec ullam creaturam (inanes ineptaſque philoſophantium diſtinctiuncvulas, incorruptibilibus rebus permanentibus, ſine principio eſſe tribuentium, corruptibilibus vero idem denegantium, haud moramur) creatori coæternam, ſine contradictionis implicatione ſtatui poſſe, licet effectum ſuæ cauſæ coævum eſſe non repugnet.*

8 *Corporibus Cæleſtibus, in hæc inferiora actio minime deneganda eſt, licet eadem ſibi aſſimilare nequeant, cum orbium cæleſtium ab hiſce inferioribus intercapedo nequaquam impediat, nec hinc actionis in diſtans ſequatur abſurditas.*

9 *Sphæræ cæleſtes, in corpora ſubjecta, per motũ lucemq; inſinunt.*

10 *Cum orbes Ætherei in ſublunarem mundum agentes, per ſolam lucem motu circumvectam, ad omnes qui ipſis aſcribuntur effectus producendos non ſufficiant, per alias etiam occultas vires, quas tritò*

vocabulo influentias vocare conſuevimus, in regionem inferiorem influere ſtatuimus: ideoque cæteros præter lucem corporum cæleſtium affatus, deridentes, & delirantium ſomnia, ignorantiæq; aſylum appellantes, in hac re, ut parum doctos, delirantesque, derideudos putamus.

11 Animalia imperfecta nullo ſemivis concurſu producta, originem ſuam active in intelligentias minime referunt, nec in cælum ut cauſam præcipuam proximam: imperfectius ſiquidem, ſe perfectius propria virtute producere nequeat.

12 Præcipua particularis & proxima ſponte genitorum animalium cauſa eſt DEVS ter Opt. Max., cælum vero ejuſdem inſtrumentum tantum eſt, ad quos effectus producendos, inſtrumentalem concurſum per lucem & influentias nulla alia biſce, ut quidam hand ignobiles docent Philoſophi, ſuperaddita virtute, præſtare nulli ambigimus.

13 Perridicula, & figmenti inſtar multis videtur Philoſophorum ſententia, Sphæras cæleſtes ab intelligentiis jugi ac perenni circumagi motu ſtatuentium: verum cum nec formæ ſubſtantialis propria virtute, tanquam principii effectivi intrinſeci (nullum corpus ſimplex in ſuo loco naturali, ab intrinſeco moveri poteſt) nec ab ulla alia effectrice cauſa moveantur, ab intelligentiis circumvolvi tenemus.

14 Per intellectum aut voluntatem movere Angelos cælum, non eſt probabile: ſic enim quantovis intervallo (non niſi affixi movent) diſſiti, orbes impellere poſſint.

15 Motus localis à forma tunc tantum naturaliter manat, cum locus comparatus per talem motum, mobili, ratione ſuæ formæ debetur; quem vero locum cælum per motum orbicum acquirit, propriæ formæ reſpectu illi haud debetur; ad formæ enim inclinationem nihil refert, ſit ne in hac, an alio hemiſphærio Sol.

16 Tot inania ſomniantium figmenta, Philoſophiæ admiſcuere Pſeudophiloſophi, purum hanc planeque divinam ſuis ita corrumpentes magis ſcientiam, ut, Chimericæ ab iis excogitatæ notiones, laborantis cerebri monſtra (tot capitibus uno præciſo, Hydræ inſtar repullulantibus) non niſi ab Hercule, aut ſi quid Hercule majus, expugnari queant. In compoſito, verbi gratia vivente, præter animam, aliam ponunt formam inferiorem, quam corporeitatis (corpoream & craſſe ſatis ſententia) indigitant, à qua eſſe corporeum, ab anima vero animatum, habeat compoſitum.

17 In

17 *In non viventibus unica tantum eſt forma eaque ſpecifica: in viventibus vero, ſola, eaque unica ſine ulla alia forma (partiales ac ſubordinatas nullas agnoſcimus) eſt anima, ſpeciem infimam niſi cui incompletã, perq. aliam formam determinabilẽ conſtituere libeat.*

18 *Forma cadaveris nova, compoſito vivente deſtructo oritur, niſi materiam ſine forma exiſtere poſſe, quiſpiam exiſtimet.*

19 *Nulla licet nova forma, in animalis interitu accedat, cadaveris idcirco minime (ſuppoſita formarum pluralitate) generatio neganda eſt, ut rectè doctiſſimus Zab. docet.*

20 *Generatio ſubſtantialis, prævias includens ad formam introducendam diſpoſitiones, ſucceſſionis moram poſtulat: at nuda introductio formæ ſubſtantialis in materiam, per antecedentes alterationes proximè diſpoſitam, nullo ex ſe temporis eget tractu, quippe quæ in inſtante ſemper, in tempore nunquam, fieri ac peragi poſtulet.*

21 *Accretionem ſucceſſivam tradunt multi, propter motum localem, individuo nexu cum augmentatione conjunctum. At noſtro judicio, inſtantaneæ ac momentaneæ ex ſe (nec niſi per accidens aliter evenit) ſine ulla veritatis jactura, errorisve periculo, meritò credi poteſt: quippe cui eadem quæ generationi, durationis lex fixa ſit.*

22 *Quamvis mixtionem ſubſtantialem formaliter ſumptam ex realium ſerie meritò eliminare poſſimus, ne tamen quæſtionum hac in re labyrinthum, nobis licet nullum vel oppidò breve ſit filum, nimis metuere videamur, ex elementorum mutua actione alteratorum concurſu, mixta per verum & realem miſtionem, primo componi, inque eadẽ ultimo reſolvi poſſe (priora hiſce ponere, frivolum eſt) aſſerimus.*

23 *Formæ elementorum, non manent in mixto integræ, & perfectæ, ut Avicenna, nec refractæ, caſtigatæ, & remiſſæ, ut Zabarella aliique docere gaudent, ſed prorſus deſinunt, alia in eorum locum ſuccedente forma: ſubſtantiæ namque, docente Philoſopho, magis aut minus, intenſionem remiſſionemve nequaquam recipit. Idcoque mirandum, cum tricorporeum Geryon iis inſtar monſtri videatur, quatuor elementorum corporibus conſtatum miſtum, naturale videri.*

24 *Elementa, licet formaliter & ſecundum ſuas formas in mixto non maneant, ex iiſdem tamen componi mixtum, in eadem reſolvi, elementique prædominantis motu moveri, rectiſſimè dicitur.*

25 *Mixtum, in eadem numero ex quibus coagmentatur elementa, nulla actione naturali reſolvi, aut elementum ullum, miſtumve aliud illi inexiſtens, inde ſeceni poſſe, pernegamus.*

26 *Si quando ex elementis, mutua actione gignatur mixtum, ad*

mixti formam producendam, elementa effectivè non concurrunt.

27 Qualitates elementares, non formaliter manere in mixto, sed virtute, in nescio qua qualitate, quæ primas virtute contineat, per quam absurdum est: licet enim elementorum formas, quæ in mixto non existunt, consequantur qualitates primæ, sintque sibi invicem contrariæ, neutrum tamen horum, quo minùs ad temperiem redactæ, formaliter non virtualiter tantum in esse possint, obesse videtur.

28 Duas in homine animas, alteram omni culpa vacuam, utpote divino satu editam, alteram vitiorum labe concretam, impiè stulteque posuere Manichæi: perperam quoque Plato tres (ut multi volunt) aliique sentientem & intellectricem tantum affirmavere, qui omnes plures in homine animas constituentes, longissimè à veritate absunt, cum una in uno homine sit anima, rationis & intelligentiæ compos, quæ totum humanum corpus, Musici instrumenti instar fabricatum connectit, regit, movet, omnesque ejus functiones, per diversa organa, & facultates administrat.

29 Anima rationalis, vegetativam & sensitivam, non eminenter tantum, ut quidam eminentes Philosophi, parum prudenter aut verè sentiunt, sed & formaliter cõtinet. ejiq. verè vegetativa & sensitiva.

30 Sensum, in objecto suo proprio percipiendo, dum ab omni errore immunem præstare conantur nonnulli, nescio quo tibicine fulti, intellectus errorem produnt, mentemque, sensum in veritatis libertatem vindicando, ignorantiæ tenebris involvunt, cum non minus sensus circa objectum proprium hallucinetur, quam eorum, in hoc paradoxo tuendo, ratio à veritate aberret.

31 Plato, unum numero intellectum omnibus hominibus tribuisse fertur, cujus nos sententiæ suffragantes, à veritate minime aberrasse censemus: quippe quem, plures in pluribus statuere, haud sine sua jactura ferre potuit magistra veritas.

THESES METAPHYSICÆ.

BOnitas, in suo conceptu formali & intrinseco, entitatem includit, nisi quis, omnitatem omnem realitatem ademptam velit.

2 Relationem rationis enti non superaddit bonitas, cum non sit per intellectum confictæ, seu ante omnem mentis functionem in rebus existens, nec relationem realem, cum DEVS Gloriosus, ab Æterno bonus sine ulla relatione reali fuerit, neque proprietatem absolutam ac realem ex natura rei ab ente distinctam.

3 *Multo minus est bonitas transcendentalis accidens quoddam verè ac propriè pertinens, ad prædicamentum qualitatis, cum prædicatū transcendens ad certum genus limitari nequeat.*

4 *Bonum, ente in quo fundatur latius non patet, sed cum eodem, in omni entium genere recurrit.*

5 *Relationem ut relatio est, nec perfectionem nec imperfectionem denotare, sed neutro se habere modo, cum multis affirmare non audemus, nec vere dici, relationem secundum (esse) in subjecto, non autem secundum (esse) ad terminum, perfectionem includere censemus, eodem & eorum sententiam transfigendam vera putamus, qui, omne ens ut distinguitur à modo rei, perfectionem, at modum rei, qualis est relatio specialem bonitatem, seu perfectionem non addere tenent.*

6 *Relatio ut relatio est, sicut propriam dicit entitatem, seu entitatis modum, ita & propriam bonitatem seu perfectionem.*

7 *Malum, pro formali seu malitia, à qua res aliqua denominatur mala, non est res, aut forma aliqua positiva, quippe, omnis res bona est; nec mera est perfectionis negatio, sed debitæ inesse perfectionis privatio, bonique indigentia.*

8 *Diris omnibus devovendus est Manichæorum error, qui malum, esse naturam positivam quarundam rerum, quæ censebantur esse omnino malæ, & à quodam principio summe malo profectæ, statuunt.*

9 *Cum, nulla res ex se sit mala, necesse est ab alio fiat talis, idq; à bono, non autem ab alio malo, progressū in infinitū si vitare volumus.*

10 *Malitia effectus, causæ defectum necessario non præsupponit, cum causa bona, nullaq. pravitate corrupta, effectum vitiosum producere possit: attamen effectus vitiosus, priorem aliquam in causa imperfectionem semper arguit.*

11 *Causa mali subjectiva, semper est bonum, nec malum nisi in bono esse potest.*

12 *Malum habet causam efficientem, sed non per se, sed per accidens, & præter primariam & intrinsecam intentionem agentis.*

13 *Malum, rebus accidere potest vel per efficientiam perfectam causæ agentis, sed præter ejusdem intentionem, vel ex defectu & imperfectione causæ efficientis, vel denique sequi potest sine ulla positiva efficientia, ex sola, influxus bonitatis debitæ subtractione.*

14 *Creationis possibilitatem naturali ratione probari posse nemo jure dubitare potest, cum aliquid ex nihilo (sive particula ex habitudinem termini à quo denotet, sive causæ materialis concursum neget) fieri, nullam repugnantiam involvat.*

15 Non modo possibilem creationis, sed actualis creationis, naturali lumine innotescit: materia enim corporum sublunarium, non est DEO aeterna creata, & creatura, ut Philosophi (Pseudophilosophi) putarunt, falsa decepti imaginatione somniarunt: cum enim sit omnium substantiarum etiam corruptibilium infima, summae perfectionis, quae est, ut se habere (esse) capax esse nequit, ideoque facta est, idque per creationem, cum nullus alius sit producendi modus, firmiter concludimus.

16 Creatio, est aliquid in creatura, non quidem ab ea realiter, & tanquam proprium entitatem habens distinctum, sed ex natura rei ubique ejusdem modus. Sicut enim dependentia quam lumen à sole habet, est aliquid in lumine, sic & dependentia creaturae, puta creatio, est in creatura.

17 Creatio, non in materia aut formave rei creatae, nec in ullo accidente, aut parte, neque in omnibus partibus copulatim ac conjunctim sumptis, nec in toto, ut subjecto sui recipitur, & tamen creaturae inesse ratio convincit.

18 Quidam, creationem in activam & passivam distingunt, sed perperam, nisi abusive loqui gaudeant: cum nullius, nec DEI, nec creaturae passio vel mutatio sit creatio, imo nec cum mutatione connexa.

19 Perplexè satis disceptare solent Philosophi, sitne actio transiens in agente, an patiente, cum tamen neutro inesse necesse sit.

20 Creatio, novitatem essendi, necessario includit, cum creatio, sit rei ex nihilo productio, nullaq. creatura, creatori coaeva esse possit, quae de re nos veritate munita, quibuslibet quantavis autoritatis Philosophis (supercilio parcant) nispote satis superque in re tanta, tamque ardua audaculis, litem movere minime metuimus.

21 Actio instantanea, qua DEVS Omnipot. coelum & terram ex nihilo produxit, huic quasi diuturnam horae, huic momento coexistit; nec effectus productio, si opus desit, sed est eritque terminus OPVS.

22 Creatio, à conservatione, sola differt ratione: una enim caditque, nempe actio, qua res ex nihilo producta, productaque conservatio.

FINIS.